

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0734

0732

0738

0728

0743

0723

0783

0683

0833

0633

0233

Ende

Anfang

161

Histor. scribunt, qui crescunt in arboribus non multum proceris, et videtur mihi, quod sint arbores solum unius anni, quae hieme arescunt et aestate recrescunt, in proceritate illa, qua apud nos est caerulea campana. Stipes ejus plures emittit ramusculos, qui ferunt poma multa in quantitate unius pugni boni complicatae manus. Poma illa sunt visu pulcherrima et appetitum videntis movent ad manducandum. Coloris sunt viridia in se, sed a parte, qua sol ea respicit, sunt gilba, rubeo permixto (B). Sunt et mollia, ac si essent matura ad manducandum, et dum aliquis pomum deponit et frangit, mox invenit quandam materiam sordidam et foetentem, qua manus inquinantur et nausea concitatur. Dum autem haec poma indurantur, grisea fiunt, et materia ab intus in favillam et cinerem convertitur.

Ejicit etiam hoc mare, ut dicitur, quosdam pulcherrimos lapillos, quos dum aliquis tollit, per triduum manus ejus sordescunt et foetent. Adeo profundum esse dicitur in medio, quod fundus reperiri non potest per immissionem plumbi longissimo fune immersi. Latitudo ejus est VI leucarum, quae extenditur ab occidentali plaga in orientem. Longitudo vero ejus protenditur ab aquilone in austrum ad IX millaria alemannica. De hoc etiam dictum est fol. 199 B. Interdum hoc mare crescit et intumescit vehementer, non tamen suos terminos exit. Multae enim aquae, flumina et torrentes, in ipsum dilabuntur, ut Jordanis, qui principalior est, et tempore pluviali et nivium multae in ipsum colliguntur aquae, quae decidunt de monte Libano et de montibus Gilboae et Galaath, et ita augmentatus in hoc mare decurrit. Sic torrentes ab utraque parte in ipsum labuntur, ut torrens Cedron, Jaboch, Arnon, Careth, et caeteri multi. Nam fere totius terrae illius faeces in hoc mare per torrentes deferuntur, et est quasi latrina ambarum provinciarum hinc et inde adjacentium: sicut infernus omnes mundi faeces in se recipiet, sic et hoc mare est cloaca illius terrae. Unde nonnulli opinati sunt, quod hoc mare in aliqua sua parte habeat voraginem, per quem decidant aquae in abyssum vel forte in infernum descendant, quia multae aquae, ut dictum est, in illud decurrunt, nec in aliquâ parte exeunt, nec ipsum mare, quamvis ad horam

11

